



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Fridericus Episc. Mart. 18. Julii

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

supeditasset. Tu qui versaris in mundo, si pecces, si minus virtuti vaces noli causari tentationes, aut occasiones; quid enim tentationes tuæ ad tentationes Alexii? pudeat te ignavia.

3. Quam hilaris erat Alexius in mente, quod mundi, carnē & dæmonē vicisset; enim verò magis gaudebat, quod pauper, castus & inglorius vixisset, quam si potitus fuisset amplissimis bonis. Cupis ita mori? implora auxilium hujus Sancti: mortē felicem impetrat invocantibus se: eum imitare: pium habe vivendi modum: pia vita, piā morte clauditur. *Mala mors putanda non est, quam bonā vitā præcesserit.* August.

## S. FRIDERICUS EPISC. MART.

18. Julii

*Noli timere, sed loquere, & ne taceas. propter quod ego sum tecum.*

Act. 18. cap. v. 10.

Si vis ad vivum depictam Joannis Baptistæ simaginem, Ectypon in FRIDERICO habes: qui in Ludovico Rege Herodem, in Juditha Herodiadem est expertus, explico tragicam scenam: Erat S. FRIDERICUS illustri prosapia in Frisia natus, à primis annis solitudinis, ut alter Joannes, amans, non nisi in sacris adolevit: jam tum Ludovico, Caroli magni filio

lio, Regio ob virtutem generisq̄ splendo-  
rem, percharus, à quo etiam ad trajectensem  
insulam est euectus. Ea in dignitate FRIDERI-  
cus, officii sui memor, ut verum se amicum  
probaret; quod aliorum ausus est nemo, ani-  
mosè Regi, ob incestas cum Iuditha nuptias  
se opposuit, Ioannis illud. Non Licet, liberè  
contrà ingerens, Anathematis insuper mina-  
tus fulmen ni malè nuptam repudiaret. Id  
FRIDERICO fatale fuit; siquidem efferati inde  
Regis iussu, emptis ab Herodiade altera, Iu-  
ditha Regina sicariis ipso in templo, post  
peractum antè sacrum, pugionibus confossus  
est. At Martyr, vulnus, dum latrones moni-  
ti effugissent, cohibens, populo vale extre-  
mum dixit, Traiectique excidium vaticina-  
tus, vivus sepulchrum suum subiit, & gene-  
roso viam permittens sanguini, defunctus est;  
qui tamen vel ex tumulto clamavit, donec in-  
cestorum regno per Daniæ Regem vastato, &  
sicariis repentina morte sublatis, coelum au-  
diens innocentiam Sancti vindicavit. *Ex Suriô.*

## MEDITATIO.

*De correctione proximi.*

I. **S** Fridericus ut verum amicum Regi se proba-  
ret, liberè corripuit eum, vox Caini est: *sum-  
ne ego custos fratris mei?* Vox Apostolicæ charitatis est:

*Corripien-*

*Corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem. Cor. 1. v. 27. S. Aug. l. 1. de civit. cap. 9. Si neglexeris corripere peior factus es eo, qui peccavit.*

2. Primas partes in corripiendo obtineat lenitas: Spiritus Evangelicus non est vindictæ aut iracundiæ, sed patientiæ & mansuetudinis. Ideo 3. Reg. 19. ad E-liam, non venit Dominus *in spiritu grandi & forti*, hoc est, superbo: *non in commotione*, hoc est, animi perturbatione: *non in igne*, in furore accenso: *sed in sibilo aura tenuis*, id est, humili & mansueto. Cujus Spiritus est in corripiendo proximo tuo?

Si ex officio obligaris, monendi sunt potestatem habentes modestè & reverenter, exemplo Nathani inductâ parabolâ de ove, arguentis Davidem forti sed modestâ libertate dicendi. Magnatibus expedit, ut adeant frequenter curias mortuorum, id est, libros consulturi de agendis vel omittendis, hi enim loquuntur sine formidine, nec adulantur ne excidant gratiâ.

---

## S. ARSENIUS Abbas.

19. Julii.

*Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei. Luc. c. 9.*

**A**RSENIUS bonis artibus & virtutibus  
juxta clarus, Arcadium & Honorium  
Theo-